


vel radicis, quinquuncē, pulegij montani sexuncem, feminis menthæ sexuncē, vel tantundē menthæ siccæ, tordilij, cassiæ, unjuscujusq; quadrantem, fesceli Massiliensis sexuncem, cinamomi electi unc. i. Maxime autem conandum est, ut crassiora (sunt verò lignosa omnia) contundendo attenuentur, nec quicquam ex eis reijciatur. Contusa per angustissimum cribum excutito, ut quàm optime uniantur; atq; ita omnia in vitreis vasculis reponito, neq; statim utitor, sed post quartum diem; ita n. majorem commoditatem præbent, & extra omnē humiditatem hæc reservato. Ceterorū colore, non valde nigrescit; & eadem in Galeni præparatione iterum præscripsit Aetius, quam prætereo; & etiã cavendum, ne hos sales prægnantibus exhibeamus, aut lactantib. neq; pueris, aut temperamento calidioribus, præsertim tēpore æstivo & regione calida, & qui acuta febre laborant, tātum ab his quoquo modo abstinent. De salibus hucusq; multa, de adipe viperino, de aquis, de cineribus hujus disseruimus sparsim.



QVOD CARO VIPERI-
na non solūm nutrit, sed in longum
vitam protrahere possit.